



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 45. An quis possit aliquando vitam vel bonum suum postponere vitæ
aut bono alterius privati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

176 Q. 45. An quis possit aliquando vitam aut bonum suum postponere vitæ aut bono alterius privati. R. §. 1. Si hic homo privatus sit in certo & extremo periculo vitæ, licebit tibi adire probabile periculum vitæ tuæ pro illius vita servanda, quia certa mors alterius est majus malum quàm probabile periculum vitæ propriæ: ad hoc tamen non teneris, quia nimis durum videtur obligari hominem ad exponendam vitam suam gravi periculo pro servanda vita alterius privati hominis.

177 §. 2. Si tu sis in æquali periculo cum altero, poteris tibi prius providere quàm illi; nihilominus potest etiam homo permittere mortem suam, ut salvet vitam proximi etiam privati, v. g. potest defendere illum contra latronem, quamvis prævideat se occidendum: Similiter potest in naufragio non arripere tabulam, sed permittere alteri, nam in his non amat Proximum plus quàm se, sed amat bonum heroicæ virtutis plus quàm vitam suam, uti ex *S. Thoma* rectè observant *Ovied. cont. 8. n. 87. & Castrop. t. 6. d. 1. p. 8.*, neque ejusmodi homo vitam sibi directè tollit, sed tantùm non servat ex motivo virtutis. An autem possit, v. g. tabulam jam infessam dare alteri evasuro, si prævideat se certò submergendum, major est difficultas; affirmat *Lorca*, negant alii communiùs cum *Suar. & Ovied. n. 72.*, quia jam in tabula constitutus erat extra periculum, in quod si se directè reingerat, videtur, moraliter loquendo, sibi directè vitam tollere, ut alteri servet, quod illicitum est: putat tamen *Suar.* fore tantùm veniale, quia gravitas hujus peccati non debet desumi à vita propria, sed ab excessu tituli, qui est, ut potiùs conservem vitam meam,

mea
tur et
nialit
ferr
dign
Opp
est co
grav
48.
§.
esse i
quia
tual
am,
pote
strop
ticus
cèt p
quia
qu
pcer
para
Gom
Dica
Gob
etia
Gob
§
tran
frag
reti
aga
le
quã

meam, quàm alienam, hic autem excessus videtur esse levis, unde sicuti peccarem tantum venialiter, si beneficium quantumvis pingue conferrem digno prætermisso digniore, si excessus dignitatis inter illos esset tantum levis, ita & hic. Oppositum tenet *Ovied.* n. 83., quia titulus, qui est conjunctio major mecum ipso, videtur esse gravis. Videri potest etiam *Lugo* de just. d. 10. n. 48.

§. 3. Si Latro te invadat, quamvis credas te esse in gratia, non teneris permittere te occidi, quia Latro non est in extrema necessitate spirituali, propter quam debeas exponere vitam tuam, sed est in extrema malitia, à qua liberare se potest, si velit, ita *Con. Bonac.* alique cum *Castrop.* p. 9. n. 7. Quòd si te invadens esset phreneticus, adhuc non teneris permittere te occidi, licet pro tuenda vita tua deberes eum occidere, quia non debes reputare eum esse in peccato, in quo si est, nescis, an sit rediturus ad rationem & pœnitentiam; & re ipsa nimis grave est sic te imparatum trudi in æternitatem: hinc *Bartholus*, *Gomez*, *Mol. Mald. Tann. Bonac. Castrop. Tamb. Dicast. Sangallenses*, quos citat & sequitur *Vindex Gobati* p. 2. prop. 10. n. 4. absolutè docent talem etiam rationis impotem posse occidi. Vide *Vind. Gob.* ad prop. 10. & dicenda l. 3. p. 1. n. 814.

§. 4. An laudabilius sit hominem morientem transferre in alias animas purgatorii omnia suffragia & satisfactiones pro se offerendas, an sibi retinere, fusè in utramque partem discutit *Arriaga* d. 40. f. 2., & concludit esse minùs laudabile, quia est velle Deum potiùs laudari ab alio quàm à se, quod videtur esse hominis minùs a-

K

mantis

mantis Deum : Econtra *Hautinus* in patr: defunct: à n. 627. citans pro se *S. Thomam Suar: & Lug:* fusè contendit, id esse laudabilius, quia per actum illum Charitatis plus meretur gratiæ & consequenter gloriæ sibi & Deo per totam æternitatem. An autem sit obligatio iuvandi defunctos, videri potest *Haut:* à n. 438.

180 §. 5. Probabilius videtur, quòd possim ad tempus velle carere gratiâ Dei vel beatitudine pro impediendo peccato vel damnatione Proximi, uti rectè *Ovied.* n. 15; multò magis etiam potero secundùm ordinatam Charitatem omittere actus bonos, ut sic impediam majora mala proximi; non possum tamen ideo velle peccare etiam levissimè, & ut volunt *Arr. & Ovied.* n. 23, non possum velle in perpetuum carere beatitudine etiam pro totius mundi salute, quamvis hoc absque peccato contingere possit, quia teneor ultimò tendere ad finem meum, quando possum sine peccato; in hoc tamen contradicunt alii cum *Bonæ spei* d. 4. n. 10., docentes eum esse actum excellentissimum Charitatis, & favent exempla quorundam Sanctorum.

181 Q. 46. Quid debeat facere sacerdos, si simul vocetur ad baptizandum infantem, & ad absolvendum adultum, quorum alter certò morietur absque Sacramento, si postponatur alteri. R. Si adest Laicus, qui baptizare possit, debet eum mittere ad infantem baptizandum, & ipse ire ad absolvendum adultum: si autem nemo adest, qui baptizare possit, debet infantem præferre adulto, infans enim certò periret, non item adultus, qui fortè non est in peccato mortali, vel per contritionem se iuvare potest: hoc autem est

arri-